

~~Ed. 236~~

1) Liber, P.

absol. 2) - 15)

Ed 236

(3) = HF




IOANNIS GVDENI
PHILOTHEOLOGVS:

AD

REVERENDVM
ET CLARISSIMVM

VIRVM M. THOMAM WE-
GELINVM AVGVSTANVM,
SS. Theologiae candidatum.



ARGENTORATI

Excudebat Antonius Bertramus Academia
Typographus, Anno

cl^o Ic cviii. Gen. 20^{to} e May^o
Dno Dno Ludolpho ab Altmühlb. b.
Quäts. p. m. filio in lalbe e Zibston
Dno suo dmissi observando.
n. Joäns Ludwig.

Johann Guden

Ad Dominum Candidatum.

Quanti, quam nosti, causam te fecerim ob illam,
Credere te satis est. Nesciat Invidia.
Pondera cum data sint tibi plurima, maximū in illo est,
De CHRISTO quod nos erudisse potes.
Sufficit hoc, quoniā CHRISTVM nescire perire est:
At contrā hunc toto pectore amare, SALVS.

J. Gudenus.

PHILOTHEOLOGVS.

Sic videar didicisse puer, nec credere frustra:
Est DEVS, Idem & homo fit: Spiritus ad-
dito sanctum

Numen. Habes nomē nusquam perfectius vllum.
Esse Deum est posse: esse hominem est quoq; velle
iuuare.

Vertitur hoc gemino quasi cardine tota salutis
Arx fidei q; sacræ prora & tutissima puppis.

Quid trepidas, mea mens! cor quid suspiria ducis

Anxia triste meum! cuius hęc inficit iste

Tristis amaricie mea lumina, squaldus atq; os!

Fide DEO: iurat, se quemquam nolle perire,

Sed cunctos converti homines, vitâq; fruisi:

Ipsam qui verum est, & vero verius ipso,

An fidei fiat reus? Ah mens impia noli

Dicere verba DEO. Vetus in chaös ardua cœli

Antè suum recidat moles, & inane liquefcet

In nihilum tellus, fiat lapis igneus æther,

Quàm vel apex verbi pereat tenuissimus huius.

Tantum est momenti, tantumq; adamantis in illo.

Qui mortem ligat, at vitæ prælargus an ille

Cætera non mutare etiam, mens, tristia curet

In melius tua fata DEVS? convicta quiesce.

A 2

Ringitur,

Ringitur, & Lupus horrendos in vocem ululatus
Tartareus soluit, nec habet, quò mille nocendi
Artes convertat, quando semel audijt illam
De cœlo vocem, & Patris oratori verba:
Cura meæ in quo solo animæ stat & vna voluptas,
Filius hic meus est dilectus: huic, volo, cunctos
Auscultare homines, totâq; advertere mente.
Hic quamvis galeâ dirum caput undiq; serpens
Antiquus tegetet Draco, tamquam fictilis urna
Pistillo teritur, diuino sub pede fractum est.

CHRISTVS homo DEVS ecce manus & brachia
pandens.

Ecquæ vestra, ait, est tandèm fœcordia, mentes?
Quas labor & grave pressat onus! quin tenditis
omnes,

Omnes huc! quantū estis, quæso, venite. Repulsam
Hostibus impingam, non non, mihi credite, vobis.
Non famuli mihi vos, quibus est animi omne re-
Arcanumq; sui DOMINI res abdita & altâ (postum
Nocte sepulta, sed ut vestro sum sanguine cretus,
Fratria fors nobis facti estis, & intima turba.
Ergò in complexus, animæ, discedite nostros,
Nil reliqui faciens istâ vos mole levabo.
O mel & orbis amor. Non sic Salamandra per ignē
Sentit opem, quàm nos fovet ignea gratia cœli.

Mens.

Mens mea, duc pompam D O M I N O, mens iubila
pange:

Cuncta Creātori laudes caro, cantica, plausus
Prometuo, pueri, iuvenes, mas, fœmina, ephebi,
Tota cohors, dic mens: D E V S est me gaudia, dicāt
Mille hominū retrò & pòst secula: magnus & altā
Sede thronoq; D E V S quouis sublimior. Eia hunc
Hymnis & cymbelis D O M I N V M & deca pangite
chordis.

Ille sedet cœlo, cœlo, quod vbiq; ministrat
Illi fulgentem cathedram & lucente pyropo
Splendidus quouis decus: ampla recondit & alta
Subradiante cauo pedis atria & abdita terræ
Moina, cuncta oculo voluens mysteria rerum,
Omnia temperie mirā & ratione gubernans:
Illi nil magnum: solus quia maximus ille est:
Nil occultum illi: quia acutiùs omnibus vnus
Ipsâ etiam in mediâ tenebrarum cernit abyfso:
Illi nil factu graue, sed facile omnia posse:
Numquàm illi violata fides, sed pacta tenere
Aeternum constans: non illi fœdera rumpi
Pro nihilo est, fraudis sed inexorabilis vltor,
Supplicibus votis nisi mens placauerit ipsum.
Namq; & iusticiam longo pòst tempore firmat,
Mansuroq; adamante ligat: non diffidet umquàm

A 3

Ipsè

Ipse sibi, mera sed **D E V S** est constantia totus,
Custodem patremq; gerens, qui flagrat amore
In genus humanum totus velut igne perenni,
Sed dolor, in nato tales, quos orbita culpæ
Mille trahit vicibus nigroq; adiudicat Orco.
Orbita nos trahit, at miseros pater ille reducit,
Vnica cui res est cordi succurrere lapsis.
Nos trahit humani generis sævissimus hostis,
Ut frendens **L E O**, qui grassatur, & omnia rictu
Irato indagat, nùm sit, mactare quod ausit,
Indomita impellitq; **C A R O**, quam nî facer ardor
F L A M I N I S ætherei regit & puro sale condit
Bis sanctæ crucis, insurgit, furit, urget & instat
Improba præcipitem divinæ particulam auræ
Hei dolor, usq; ad eò dare, donec tota salute
Excidat, atq; gradu sit proximo ad atria Ditis:
Trudit ad ima homo se, sed nos Pater ille reducit,
Respuere offensas facilis, sed & acriter hostes
In pœnas torquere potens, perq; imaruenti
Præcipitare gradu diras Plutonis ad ædes:
Mos illi est hic perpetuus: ferit alta, sed ima
Tollit. Quis potis est dextræ illius indere morem!
Sed misereri illi mens est maiorq; voluptas,
Atq; humanâ animâ cœleste implere cacumen:
Hinc etiam capitis subtili pollice nostri

Fila

Fila legit DEVS, & numerat: non audeat illum
Prociduum, inconsulto ipso, contingere terram.
Omnia in illius manuum sunt scripta libello.
Sed quodnam pelagus tanto me gurgite versat!
An non est comis breuitas, vt fama renatum
Pythagoram docuisse refert! breuitate loquendi
Lætor & insolitū laxata reducere gyrum.
Quin potiùs se Musa virum convertat ad illum,
Cuius me pietas infirmum hunc scribere versum
Compulit & fieri doctis hoc scomma poëtis.
Me verbo expediam, nec se vox implicet istis
Ponderibus: semel hæc tantum sententia sedit:
Nosse & posse DEVM verè nouisse docere
Cæcos mortales, næres diademate digna est,
Quale tuo capiti VITÆ gaudebat ad Albim
MONS dare, sed TVBIÆ, CHRISTO duce & auspice,
votum

In longis tunicis sacer ordo perficit ipsum.
Nascenti indiderunt mella ambrosiumq; liquorē
Ori Vinda Lycusq; tuo, sine numine pectus
Alter habere queat: DEVS at tibi finxerit illud
E meliore luto; quoniam mortalia damnans
Somnia, voce istâ & calamo cœlestia profers
Dogmata, cuncta istâ suspendens lance rotundâ
Diuini verbi, vitæ quod pondus & arrha est,

Aeternâ solum gaudens in sede morari,
In clades ruitura suas cum cætera tendant
Cuncta quidem, tellus & passa volumina cœli.
Tu sanctis depulsa semel rationibus hydra
Da victas Lernæa manus: absistite IANNÆ
IAMERÆq; creperæ cœlestibus oblatrantûm
Oraclis animæ, quarum sapientia verè est
Stulticiæ cruor, ambitio mera, Lerna malorum.
Sed, rogo, qui tandem tantus vos incitat error!
Ut libeat vosmet configere mordicûs ipsos!
Anceps est gladius verbum, quod acutiûs intrat
Quâvis cote acieq; animam, nec in otia tendit,
Donec disciderit, quod in imo corde repostum est.
Bis perit hoc spernens æternâ nocte premedus,
Sole etiam in medio quoniam sine luce vagatur,
Utrabiosum animalq; uædâ aut furibunda Megæra.
Atqui tu sanctis noli desistere cœptis,
Atq; istos ventres cœlesti fundere telo.
Quæ tua scripta legit, probat, illustriq; potenter
Audiit è cathedrâ certanti voce loquentem
Expetit Argyrope, siue illa libentiûs audit
Arx sacri Imperij fidissima, celsaq; Celtis
Fortibus & Belgis specula Argentina Tribossa:
Urbs pingui campo & ridentibus in Paradisis,
Turgidus auriferas Rhenus quâ voluit arenas,
Vicinis

Vicinis placido miscens se fontibus alueo,
Et quæ se iungit sinuoso vertice Cocchar,
Quaq; adeò longè hùc mons respicit Apenninus
Per mediã Oenotriam caput inter nubila condens:
Ibit eò titulus nomenq; tuum, sed & vltra
Tyrrhenum mare, fortè & ad vltima littora Thules
Si longos vitæ tractus DEVS atq; labori
Successum dederit. Votum & Rhegnessis id ipsum
Intima Musa tibi mecum ingeminare perennat.
Si fieri posset, meus vt te nosceret æquè
SPARRAIDBS Mæcenatum facilè vnicus ille
Cunctorum princeps & verè nobile pectus, (cui
Quantus in hoc poteras amor & descendere ami-
Scilicet, hunc totum Musæ lavère patronum,
Siquid & ingenuum est, certè possederit ille.
Sed, me vate, erit, vt quoq; te vir nouerit olim,
Verùm & mystarum verbo & re maximus ille
Splendor & alma charis Guelfâ Basileus in aulâ
(Prima ille ipse olim factus mihi forte Patronus)
Aulâ, vbi diuini patriæ patris inclyta virtus
In fontum capita à diris nebulonibus arcet,
Dans istos miluis & ouanti gutture coruis:
Tùm iubet inscribi tabulis hoc pensile carmen:
Ob scelus & piceos vngues Rhamnusia vindex.
Hinc istæ lacrymæ, quasi sit mitissimus ille

A 5.

Optimus

Optimus atq; heros sæuâ de gente Tyrannûm,
Vt sine fronte caput virosa calumnia spargit.
Sed nouit PATER & ferit hoc mendacia telo,
(Rex Macedo verbû magnum quod dixerit olim)
Cum facias benè, carpi linguâ regia res est,
FIAT iusticia & pereant hæc climata mundi.
Sed quò Musa ruis? mitte hæc & contrahe vela.
Te PETREVS & HILBRANDVS lucentibus hircis
Quattuor, at Patriæ tantùm duo lumina gentis
Hercinij ad cliuos pedis atq; immania saxa,
Lignifer vndarum fluctus quâ voluit in oras
Chaucorum, & Guelfi patris atria munit Onacrus,
Esse & te dixisse suum certarit vterq;
Tanti illi faciunt studijs memorabile nomen,
Et lucem ingenij, solidâ virtute quod æuum
Immortale trahit radianti pulchrius astro.
QUALIS enim quisq; est: tali sibi compare gaudet:
Nec generosus equus timido se miscet a fello.
Maeste, Vir, & pietate tuâ, conatibus instet
Vt DEVS ipse tuis Rector vitæq; viæq;,
Donec ab hâc miserâ lacrymarum valle solutos
Cœlestem pulcro te mecum tramite ducat
O CHRISTE, ad patriam virtus tua. Suscipe vota.
Plura velim vacuus. Verùm nec viribus audax
Exiguus insto, nec cymbam à littore duco

Tàm

Tàm vastum in mare, vbi vexet me sæua charybdīs,
Scyllæusq; furor, ventis ludibria fiam.
Tum pater ALVONIDES, vt scribā, mandat epistolā
Ille herus atq; pater, cuius micat ardua virtus
Nobilitasq; inter velut ignes Luna minores.
Pondus habes in fine tibi. Da, CHRISTE, parenti
Tanto & Patrono, quod sum te sæpè precatus,
Cum vitâ vegetas heroö in corpore vires,
Et cœli lento pede tecta subire, sed illi
Quantum est in nobis, fas nunc parère iubenti.
Ingenuus promptusq; aliàs ero. Tu modò perge.

F I N I S.




Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

F I M I S









13

IS GVDENI
THEOLOGVS:
AD
RENDVM
ARISSIMVM
THOMAM WE
AVGVSTANVM,
ologiae candidatum.



ENTORATI
onius Bertramus Academiae
ographus, Anno

Is Ic cv III. Gen. 20^{to} e May^o
Dno Ludolpho ab Alunshorst
S. p. m. filio in lalbe e Ziesten
nro dmissi observando.
n. Joan Ludwig

